



DISPV⁴³TATIO INAVGV²³RALIS
DE
CHOLERICA PASSIONE

1644, 3

Quam
AUSPICE AC DIRECTORE MEDICO
SUMMO, DEO,
AMPLISSIMÆ AC CELEBERRIMÆ
FACULTATIS MEDICÆ
in inclytâ Academiâ Regiomontanâ
auctoritate & consensu,

Pro Licentiâ Privilegia & honores Laureæ
Doctoralis, in arte Medicâ summos obtinendi, & legitimè capiendi,

Publico Licentatorum examini subijcie

FRIDERICUS MÖLLERUS
Cüstrinensis Marchicus

Ad diem 15. Aprilis,

ANNI M. DG. XLIV.

Horis ante & post meridiem,
in Auditorio magno.

REGIOMONTI
Typis JOHANNIS REUSNERI.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

Principi ac Dn. Dn.

FRIDERICO GUILHELMO

Marchioni Brandeb. S. R. Imperii ArchiCamerario & Electori, Borufs. Jul. Cliv. Mont. Stetini Pomeran. Cassubior. Vandal. Carnov. & Crosnæ in Silesiâ Duci, Burggravio Norimbergico, Principi Rugiæ, Comiti Marcæ & Ravenspergi, Ravensteini Domino, Domino suo clementissimo.


Duplici nomine, Electorali Clementiæ innixa Disputatio tutelam sibi pollicetur indubitatam. Scilicet est communis in literis emancipatos Gratia, & in Meos Meque olim singularis. Quam Divini Regiminis æmulam Marchia, Borussia, & Regiones conterminæ loquuntur, juxta alias virtutes, in quibus conferendis suas emensa est vires Natura, quo vel Augusto benignitatis palmam redderet dubiam, nedum ut pari cum illa passu ambulet. Particeps, Serenissime Elector, moderationis nujus hæreditariæ audis. Siquidem quot in Domo Brandenburgicâ Heroas, tot raræ mansuetudinis exempla recensent annales, tot benefica ferè Numina veneramus. Venerabatur Eadem Parens meus, eo quo decet, modo à multis annis Ministrum, Civem, Subditum. A cujus extremo cum excluderer complexu, fructum devoto decerpebam pectore. A quo tempore continuo extra Patriam commoratus curam spei futuri Medici impendi; quæ nec laboris (quod præfiscini dixerim) fructum defloravit. Cujus primitias humillimâ jam offero devotione. Accipe, Serenissime Elector, conatum meum Clementi Mente, manu à tuo Cive, Subdito, qui pro incolumitate Electorali, & felicissimo Regimine Deo supplicat ferio.

Sereniss: Celsit: Tuæ

Subjctissimus

Fridericus Möllerus.

Proamium,



Antonio Eremitæ ob Christianam confessionem in exilium ejecto mundi hujus spectacula & operum Dei tantam animi delectationem pepererunt, tot argumenta laudandi Creatorem suppeditarunt, tot divini Numinis documenta ministrarunt, ut nec satietate contemplandi nec librorum desiderio fuerit occupatus. *a.* Compendium tanti artificii cum suggerat Homo, *b.* habet, in quâ se exerceat, materiam, Ratio: quæ, ut ut sollicita scrutetur structurâ & varietatem, potita multorum cognitione, attamen multorum etiam admirationi acquiescere cogitur, argumenta repertiens sat copiosa contemplandi, ne aut aliorum desiderio afficiatur, aut alienorum vacare possit studio. Vel in auris fabricâ, aut structurâ pretiosissimæ partis corporis, *c.* oculi, nostrum, si lubet, exerceamus intellectum; cujus jacturam nullo pretio redimendam coram Imperatore Adriano servus ingemuit, *d.* Hinc mare illud eruditionis Galenus, *e.* sibi ab admiratione temperare nequit, quin laudet sapientiam & potentiam Creatoris; licet, quis sit, ignorare se palam fateatur. Largior etiam ipse, perfectioni hominis penitens considerandæ nos impares, nec suppare esse ejus defectibus tot & tantis! Ne ad omnem fortunæ contumeliam projectum referam corpus, sufficiat digito monstrasse morborum Iliada, qui sæpe quasi ex insidiis nos aucupati invadunt, & nisi maturè succurretur, sensim aucti serpunt, donec tanto ingruant impetu, ut in ruinam tanti quidem artificii demum vergant. Quibus emendandis & removendis cum intendat Medicus, Antiquitas, quod omnium accuratam posteritati non tradiderit rationem, veniam meretur

a. Lev. Lemn. de occ: nat: mirac: l. 1, c. 1.

b. Arist. 8. Phys. 17.

c. Plin. l. 11, c. 37.

d. Gal. l. de cogn. & cur. animi morb. c. 4.
e. l. 7. de Us. part. 14.

vetur: maximè cum Medicina primam agens artem,
 paucorum cognitione niteretur, f, Quæ postquam ado-
 levit, Hippocrate censore, g, Artificem culpâ ex-
 g. l. de Vet. Med. s. 1. imit, qui etiam si omnes in curandis ægris industria nervos
 contendat, aliquem, modò levem, committit errorem.
 Quare nemo Hippocrati nostro vitio vertat, quod apho-
 rismos ordiatur à comparatione vitæ brevioris, & difficilis
 admodum artis amplitudine. Nemo ipsi veniam dene-
 get, quod ad artis finem jam Senex nondum pervenerit,
 pront conqueritur in Epist: ad Democr: b. Inter tot au-
 tem, quibus conflictamur, morbos, acuterum dignotione
 & curatione maximè instructus sit Medicus, siquidem illi
 præcipuè interficiunt, maximos excitant labores, & plu-
 rimâ observatione, & accuratissimâ indigent curatione,
 monente Hippocrate, i. probandusq; is Medicus, qui in
 iis longè melius cæteris se gesserit. k. Quare non abs re
 fore reor, si Choleram hac vice in disquisitionem vocave-
 ro, affectum simpliciter peracutum, in quo plura ventricu-
 li symptomata in unum conspirare videntur, l. in quo
 idèò exiguam moram damnat Trallianus, m,


f. Plin. l. 24. c. 1. & l.
 25 c. 2. Senec Epist. 95
 g. l. de Vet. Med. s. 1.
 p. 11.

b. Cod. F. p. 20. f. 8.

i. l. de Affect. s. p. 78.
 k. Id. l. de V. R. in
 acut. p. 53. f. 4.

l. Mereat. l. 3. de Cut.
 morb. intern. c. 8. p.
 270.
 m. l. 7. c. 14.

A no



I.

A Nominis autem ratione expedienda ordiar. Sor-
 titus est hic affectus nomen Græcum ἀπὸ τῆς χολ-
 λῆς deductum. Alex: Trall: quidem cit: l.
 hoc negat, & ἀπὸ τῶν χολάδων derivat, cujus ratio, quod
 pace tanti Viri dixerim, non videtur sufficere. Nihilominus
 ipsius sententia nostræ accommodari potest, siqui-
 dem & χολάδες ita appellantur, quod isthuc corrivetur
 χολή, notante Aretæo, a. Hinc hoc affectu laborantes di-
 cuntur Cholericæ, quo sensu utitur hoc vocabulo Plinius.
 b. Item χολερωδὲς. Mercatus cit: l. ad stipulatur Tral-
 liano, sed aliam subnectit rationem, quod scil: fluxio per
 contraria fiat. Cujus mentem se non assequi quidam con-
 queruntur. Verum attentius legenti patebit ex Eodem.
 c. Cholera autem vocabuli acceptio cum non una sit, so-
 lum hinc mihi designabit symptoma paulo post descri-
 bendum, quod Cal: Aurelian. d. Fellisfluam vocat
 passionem; alii aliter. Humidam nimirum disquisitio-
 ni subjiciam, quam de pingie Hippocr: c. rejectâ siccâ,
 cujus idem mentionem injicit. f.

a. l. diut. pass. c. 9. p. 44.

b. l. 23. c. 6. p. 584.

c. l. 1. part. 3. Cl. 4. de Humor. quest. 88.

d. l. 3. acut. c. 19.

e. l. de Affect. p. 83. f. 3. f. l. de V. R. in acut. p. 78. f. 4.

II. Descriptionem ejus ita informandam censeo,
 quod sit immoderata humorum corruptorum acrimie eje-
 ctio ἀνω καὶ κάτω, expultrice Ventris valdè irritatâ:
 In materiâ Naturam sollicitante denominandâ Auzorum
 est dissensus. Fernelius, a. utramque agnoscit bilem.
 Forsan motus observatione Hippocraticâ, b. ubi in Eu-
 rychide abunde saturatam bilem deprehendit Senex, sub-
 sequente humore feculento. Nam ita interpretatur
 vocabulum τρυχὸς Foësius. c. Alii alios observarunt Me-

a. l. 6. Pathol, c. 3.

b. l. 5. Epid. f. 7. t. 78.

c. In Not. ibid. p. 273. in Oecon.

dici humores. Quam varietatem parie diversitas subje-
cti & assumtorum. Frequentissimè tamen bilis vel præ-
dominatur, vel admixta est sero. Prout, quam subindè
notant Autores, urinæ suppressio arguit. Ratio reddenda
ex Hippocr: d. Hinc Actuarius, e. excreta illa
ἰδαίχολα vocat. Si quis Hermeticorum per Salem aut
Tartarum possit explicare commode non reprehendam.

d. 4. aph. 83.
e. Meth. Med. l. 1. c. 20

a. l. 4. de Re Med. c.
11. p. 175.

b. 4. aph. 33.
c. l. de Affect.

d. Actuarius. Meth. med.
l. 1. c. 16. & 8.

e. Hipp. 6. Epid. f. 3.
aph. l. p. 1174.

III. Ventriculum esse locum malè affectum non
dubius cum Celso, a. hæreo, & quidem universum; maxi-
mè secundum orificium utrumq;. Laboravit enim ille, prout
in causarum enumeratione perspiciemus, proin ibi mali
sedes erit ex decreto Hippocratis, b. non ineleganter
eundem alibi mari conferentis, c. quod recipiat omnia
mala & refundat, prout illud aquas. Interim largior
etiam in consensum trahi intestina; quæ citò hac labe sol-
licitari nemo miretur, quandoquidem vicinia in causa est
eorum, ceu ignobiliorum, propter quam etiam mediocre vi-
tium nobiliorum partium infestare consuevit. d. Ma-
ximè cum Ventris torpor omnium perturbationem & vaso-
rum impuritatem inducat. e.

IV. Antecedentem causam propinquam esse caco-
chymiam non ambigo. Remotam arbitror partim fa-
cultatem lasam organorum publicæ coctioni dicendorum,
partim errorem externum seu 6. res non naturales dictas
Medicis, quas in 4. Classes redigam, in ea quæ assun-
tur, geruntur, retinentur, foris adveniunt. Et qui-
dem in primâ primum obtinebit locum, qui maximam ge-
nerationis hujus morbi partem sibi vindicat cibus & potus,
siquidem nullus est tam similis nostræ substantiæ, qui non
aliquâ ex parte differat, Iouberto Censore; a. imprimis si
calis sit, ut facile in acres & mordaces convertatur hu-
mores.

a. Annot: in lib. Gal.
l. de Fac: Nat: c. 10.

mores, quales sunt cacochymi Actuario dicti. b. Naturam namq; hi retinent suam, experientia teste. V. Renodæum, c. & historiam, quam ex Portâ refert Mizaldus. d. Licet etiam eorum usus innoxius aliquandiu videatur, tamen progressu temporis nobis non opinantibus hostile inferunt damnum collecti horum succi nutritioni inepti, e. quando per se existunt, juxta Hippocr: f. parum occasionis nacti. g. Si verò statim secedant, magnum ad sanitatem viaticum est, ut loquitur Aegineta. h.

V. In horum ciborum censum referendus ex vegetabilibus raphanus, de quo recitat historiam Amat. Lusit. a. allium, cape, brassica, cucumeres, melones, fructus horarii, aromata, in bilem fecunda alimenta, dulcia, ut Saccharum. Ex animalibus carnes porcellorum semiustas incusat Hippeer. b. Lac caprinum, quum caprae pascuntur helleboro, rithymallo Casalp. c. Alii mel, pisces ex aquis canosis, carpiones, gobios, anguillas, & omnes pinguiore: ova barbi piscis Mense imprimis Maio. De quibus egregie disserit Gesnerus, d. referens, quod Ane: Gazius post aliquot, alii duas horas, postquam gustarunt in vita periculum sint coniecti Cholerici. Item cochleas. Huc adduco potum aquae putridae, nive aut glacie infrigidatae, aut qualitate mineralium impraegnatae, vini tenuis saccharati, musti, e. cerevisiae recentis. Locum hic etiam dare placuit Purgantibus & venenis (licet multum differre ista inter se nôrim) v. gr. fungis, quos ad venenorum naturam propius accedere scribit Aetius, f. quibus assumtis quidam die quinto obiit Cholericus, prout annotavit Epiphan. Ferdin: g. helleboro albo, colocynthidi, Antimonio, Euphorbio, Esula, & aliis cathar-

b. Meth. med. l. 3. c. 1.

c. l. de Mat. Med. l. 1. c. 6. f. 1.

d. Memor. Centr. l. 1. f. 1.

e. Gal. l. 2. de Alim: Fac. c. 6. p. 17.

f. lib. de V. M. p. 14. C. F.

g. l. de Morb. 3. f. 5. p. 68.

b. l. de Re Med. l. 1. c. 34.

a. Cent. 2. Cur. 32.

b. l. de V. R. in acut. p. 75. f. 5.

c. Spec. Hipp. l. 7. c. 13.

d. de Aqat. l. 4. f. 4. p. 143.

e. Schenck: obs. l. 3. p. 376.

f. Tetr. I. serm. 1. p. 44.

g. histor. 11.

b. Vid. Vidius de Cure
membrat. l. 9. c. 18.
p. 482.

a. Hipp. 2. aph. 17.

b. 5. Epid. t. 70. s. 7.

c. Egin. l. 1. c. 73.

d. Hipp. 2. aph. 38.

e. Id. 2. aph. 50.

f. l. 7. c. 14.

g. l. de præcogn. ad
Posthum: c. 11. p. 219.

h. l. 1. de Re Med. c. 2.

i. Hipp. 2. aph. 4.

k. Hipp. 3. aph. 19.

l. 5. Epid. t. 70. s. 7.

a. Mercat. t. 1. cl. 2.

quæst. 166. p. 53.

b. Hipp. 6. Epid. c. 5.

t. 8.

c. Aët. tetr. 2. s. 1. c. 60.

d. Aët. M. m. l. 4. c. 3.

catarticis absq; apparatu debito, & ulera debitam mensuram temerè & imprudenter assumptis. h.

V I. Copia ciborum non modo cuius morbo generando suam confert operam, a, sed sigillatim etiam huic, quod suo exemplo comprobat Bias pugil vorax, b, idq; eò citius, quo varietas alimentorum major, prædictorum contrariis facultatibus, c. ingratorum d. in insuetis, e. Hinc à solâ copiâ ciborum Choleram improprie sic dictam aliquando provenire asserit Trallianus, f. quæ signis benè collatis videtur idem affectus, quem Attritionem Ventriculi indigitar Galenus. g. Dum autem superfluum repudio cibum, tantum abest, ut nimiam inedia approbem, ut etiam biliosos istâ interdicitam cum Celso, h. siquidem & hæc nature bellum indixit, i. dum aciores reddit humores, ventriculum malis replet humoribus, viscera exiccat. Quo sensu facile Alex; Trall. sententia subscribo, quando eir: loc. ab inanitione quandoq; hoc vitii oriri asserit. Huic primæ classi associandus aër, seu occulta seu manifestâ qualitate damnosus. Hinc licet quolibet anni tempore quilibet morbi accidere possint, k. æstare tamen & autumno frequentius Cholera invadit, quàm Vere aut Hyeme, l. tantum de assumptis.

V II. Secunde Classi assigno exercitia immoderata, siquidem bilis inde coacervatur, dum leges se exercentibus præscriptæ vel rarò observantur, vel agrè, a. deinde iram, quæ præcepit calorem & humores commover, b. tantâ vehementiâ, ut in quibusdam ipsam febrim accendat, c. interdum gravitatem & dolorem capitis cum oris amaritudine inferat. d. Noxiæ etiam sunt curæ, animi moror. Tertio huic adjungo vigilias, cruditatem pa-

tem parientes, e. quatenus calorem retrahunt, f. in-
signiter exiccant, edaces. Hinc etiam urinas immutant,
prout ex Avicennâ statuit Forestus. g.

e. Hipp. de V. R. in
acut. p. 61. f. 7.
f. Id. 6. Ep. 12.
g. l. 2. de Ur. incert.
c. 1. f. 86.

VIII. Ad tertiam Classsem scil: recentorum re-
ferenda est consueta evacuationis intermissio, unde vi-
scera infestantur, succi etiam utiles corrumpuntur, ac-
cifo calore cruditates cumulantur, & optima quæq; ali-
menta incassum corpori tali impuro præbentur. a. Non
miror itaq; quod feces alvinæ retentæ etiam senes conji-
ciant in febres ardentes, ipsâ Hyeme, b. cum aliâs non
facile eveniat. c. Locus etiam hîc videtur dandus pro-
hibitæ transpirationi ex causâ internâ, quatenus crudi
succi non modo non transpirant ipsi, sed etiam impediunt
cætera ingesta perspirare.

a. V. Hipp. 2. aph. 9.
& 12.

b. Hipp. l. de A. Aq. &
loc. f. 3. p. 64.

c. Id. 1. aph. 14.

V. Sanctor. de Stat.
Med. f. 3. c. 3.

IX. Ad quartam Classsem scilicet foris ad moto-
rum spectant juxta balnea intempeſtiva, lotiones, quas
frigidioris aquæ quoties quidam adhibuit, in Choleram
incidit, teste Schenckio: a. ubi etiam alterius meminit
Cholera correpti, quoties nudis pedibus supra frigidos la-
pides & marmoreos ambularet. Pertinet huc consti-
pacio pororum cutis à causâ externâ, prohibitæ transpira-
tione: prout naturalem raritatem cutis alvi constipatæ
causam incusat Hippocrates. b.

a. Observ. l. 3. p. 376.

b. 6. Epid. C. 3. 1.

X. Hæ causæ eò minori operantur negotio, quò
aptius offenderint Subjectum, sive naturâ tale, sive ob
aliquam imbecillitatem. Naturâ tales sunt 1. Bi-
liosi vel quoad temperamentum, quos Hippoc. a. vo-
cat φύσει χολάδεις; vel quoad conformationem scilicet du-
ctum Cholidochum: de quo consulantur Anatomici. 2.
ἐναρτησίων Ventriculi agnoscentes, seu illa dependeat à

a. l. de Morb. Mul. 2.
f. 5.

B

nervis

nervis sextæ conjugationis grandioribus, seu defecatione in utero factâ, de quâ differit Hippocrates. a. Ob ascitiam imbecillitatem proni sunt, 1. ratione temperamenti biliosi ex eventu dicti Laurentio. b. 2. ratione vitæ generis luctatores, pugiles, saltatores, fabri, equites &c: 3. ratione ætatis, homines constanti ætate, ex Hippocr. c. quos ætati simillimos esse testatur Gal: in Comm: item juvenes. Rarissimè vero senes afficiuntur: pueri citius, sed non mortiferè, d. juxta Aretæum. d.

a. l. de S. Morb. p. 304
s. 3.

b. Anat. l. 6. c. 20.

c. 3. aph. 30.

d. Acut. morb. l. 2. c. 5

e. Hipp. Coac. præn. A.
phor. 120.

b. l. 7. de Febr. c. 23.
c. l. 7. Meth. m. c. 7.

d. Hipp. 7. Epid. text.
90.

XI. Differentias Cholera agnoscit varias, quarum tres tantum attingam. 1. Alia est per πρωτοπιδναρ s. nullo morbo prævio oriunda: alia per δευτεροπιδναρ. Succedit enim nonnunquam lipyria febris. 2. Imò ἐμπεριότερ febribus aliis continuis & intermittentibus anno quodam complicata fuit, & ejus causâ omnes ferè egri miserrimè interierunt, observatore Hor: Augenio. b. 2. Alia est Critica, quam notat Galenus, c. prout quibusdam sunt periodice diarrhæe, & hæmorrhoides critica, ut passim legere licet: huic opponitur symptomatice. 3. Alia est ex causis manifestis orta: quam equidem quosdam negare novi; attamen eorum rationes mihi non satisfaciunt. Alia est occulta s. malignitatis particeps, d. quæ cujus naturam hîc maxime exprimat, reservabimus discursui.

XII. Sequuntur signa, quæ in dignotionem hujus affectûs nos deducunt. Ne dicam de signis peccatis aliâs à causis & corporis dispositione, sufficiant desumpta à symptomatibus. Primo molestat nausea, καρδιωγμὸς, καρχιδάρια, ἀλυσμὸς. Hæc excipit vomitus & dejectio

dejectio materiae corrupta, pulsus major, celerior. Cum
his si febris cum siti intensiore concurrat, materiam ex
venoso genere affluere probabile est. Quibus in progres-
su solent supervenire, singultus, syncope, convulsio,
lingua aspera, extremorum refrigeratio, sudor frigi-
dus, pulsus minimi & frequentissimi viribus accisis.
Quando sequitur ejectio atrae bilis, aponia, caligo ocu-
lorum cum facie Hippocratica, conclamatum esse autumat
Aretaeus. a. Persequuntur haec signa potest Hipp. b.
Graeci Medici Principes fuisse satis. Malignam Cho-
leram prodit cordis facultas laesa magis, quam evacuatio
utraque inferre potest. Scilicet pulsus statim debilis, ha-
bitus corporis subita mutatio, & major, quam ex causis
istis oriri possit. Confirmant Medicum causae progressae
malignitatis arguenda.

a, 1, 2, acut. pass. c, 4.
b, 5, Epid: text: 2.
& alibi.

XIII. Cogniti hujus mali prognosis annectenda.

Licet autem acutorum etiam praedictiones sint incertae, a. 4, Hipp 2, aph. 19,
attamen eventus artificiali conjectura colligi potest ex
collatione virium cum morbi magnitudine. Utriusque
quaedam saltem delibabimus. Senes, in quibus morbi
quilibet suspecti sunt & periculosi, b. in presenti ver- b, Gal, Com: 2, aph. 34
santur vitae discrimine: pueri non ita, minus adhuc
juvenes. Rationem collige ex Hippocr: c. Viri mi- c, 1, aph. 14. & 20
nus feminis periclitantur caeteris paribus. Morbi ma- aph, 34,
gnitudinem juxta alios fontes, symptomata denuntient,
de quorum judicio formando consulendus Hippocrates in
prognosticis.

XIV. Terminatur non raro urinae ardore, ma-
teriâ ad vias urinarias conversâ, per quas vias etiam
Natura aliquando molitur evacuationem bilis teste Hipo-
crate. a. Quando Tract: quod tabem inducat, a, 1, 4, de Morb. 1, 5.
B 2 asserit,

b; l. 7. c. 14.

c. l. 3. de Re Med. c. 22.

d. 4. aph. 7.

e. 4. aph. 8.

f. l. defin. Med. P. 358.

g. Meth. part. c. 11.

l. 3. tract. 1.

asserit, b. excusandus est, quod vocabulum *phlegma* in genere sumserit, pro omni corporis extenuatione à qua-
cunq; causâ, prout Celsus accipit: c. aut violento ex-
vomitu sanguinem in pulmonum substantiam elapsum effe-
cisse ulcus. Eâ de causâ Hippocr. d. duobus à vo-
mitu arcer, & *phlegma* dicitur. e. Terminum eventus morbi de-
finit Gorraeus quartum diem. f. Riolanus eodem quan-
do die jugulare asserit. g.

XV. Tantum de morbi hujus causis & indole,
quæ necessario præmittenda erant, siquidem causâ cogni-
tâ Medicus facilius, quæ conferunt, poterit offerre.

a. Hipp. de Flat. l. 3.

p. 79.

b. Cels. in præf. l. 1.

p. 12.

a. Nec enim verisimile, posse eum scire, qui mor-
bos curare conveniat, qui unde hi sint, ignorat. b.
Progrediar autem more recepto proprio usus Dogmatico-
rum instrumento, indicationibus, Curatoriâ scilicet &
Vitali. Illa respiciet res p. n. hæc secundum naturam.
Causa antecedens quatenus peccat qualitate, partim alte-
rationem postulat, partim evacuationem: quate-
nus motu, inhibenda c. revulsorio auxilio respectu ter-
mini à quo seu principii motus: intercipientibus, respectu
viarum, quas capit: respectu termini ad quem causa
continentis nomen induit, delinquens loco, ideo remotionem
ex isto indicat: & cum sit toto genere p. n. eradi-
canda est penitus. Symptomata, si quæ urserint,
mitiganda. Viribus conservandis prospiciet indica-
tio Vitalis. Horum indicatorum materia depromen-
da è triplici loco, Chirurgiâ, Pharmaciâ, Diatâ.

c. Hipp. 6 Epid. C. 2; 21

V. Gal. Com. 1. de

Hum. text. 13.

XVI. In enodatione harum indicationum exor-
diar à causarum, & quidem, quo se consequuntur ordine,
remotione. Cacoehymiam esse tollendam purgatione

non

non dubito, quum qualitate peccans nullam corpori præ-
stare possit utilitatem. Quâ in re Naturæ sequamur
ductum, quæ se exoneratura saburrâ vitiosorum humo-
rum, & vomitu & alvi fluxu molitur illorum evacuatio-
nem. Quare utrumq; motum statim in principio reprime-
re prohibemur, memores venerandi nostri Senis decreti.

a. Nonnunquam tamen adgros & impetuosè nimis vel
à toto, vel determinatâ parte humores ad ventrem con-
fluunt, eumq; valdè sollicitando excretionem efficiunt
vehementiorem. Ne vero viribus accisis spes convale-
scendi decollet, Medici est immoderato huic fluxui in-
tendere revulsione: b. quandoquidem gravem in
parte nobili parit affectum, comitantibus symptomatibus
gravioribus.

a, s. 1. aph. 2.
V. Trall. de re Med.
c. 4, p. 185.

b, Gal. Meth. m. 6.

XVII. Huic scopo satisfaciendo commendabo
ex Chirurgiâ frictions & ligaturas artuum, & quidem
in partibus musculosis administrandas, ut ratione dolo-
ris & caloris retrahendi munere fungantur. a. Qui hic
accuratè attendendam esse $\xi\theta\eta\nu$ materiæ, concitato ve-
hementius, quàm alvo, vomitu, frictions fortiores
in artibus inferioribus præcipiunt: alvo ferociùs quàm
vomitu, sevientè, in superioribus: Utrobiquè equali
excessu, æqualem suadent applicationem. Et habent
hi Patronum Trallianum. b. Verum cum capitis

a, Capivace: de Aff:
Ventr: l. 3, c. 12.

b, l. 7, c. 16 p. 238.

c, V. Diod. Sic. l. 1.
p. 17.

penam non incurram, ut olim Medici Ægypti, defle-
tentes à lege Antiquis Medicis comprobata, c. etiam-
si hâc decessero sententiâ, distinctione hâc supervacaneâ
neglectâ semper equali diligentia superiores & inferiores
fricandos malo artus. Quantitatem frictionis scopus
d. & iudicium Medici definit. Neq; enim audien-
di sunt, qui numero definiunt, quoties aliquis perfri-
candus

d, V. Hipp: l. 2. de V. R.
c. 75. & Foëf. Not ad l.
de Offic. Med. text. 36.

c, Cels. 2. c. 14 p. 78.
de Re Med.

candus sit, quod ex viribus agri colligendum. e.
Deinde Chirurgia expedie etiam cucurbitulas inanes s.
sine scarificatione, artubus & scapulis applicandas &
affigendas, identidem mutandas, ut irritata sæpius Na-
tura fortius illuc spiritus mittat & humores.

a. Med. Collect. 1. 7.
c. 17.

b. Meth. m. 1. 3. p. 21.

c. Lib. de Aff. Ventr.
p. 301.

a, l. cit. c. 2. de Chol.

b. l. de V. R. in acut.
l. 4. p. 65.

c. Libi 1. Obs. 6.

d, l. 3. de R. M. c. 39.

XVIII. Non raro accidit, quod incusanda
sint viscera quedam v. gr. Lien, hepar, ceu partes
mittentes, quibus cum multâ flammâ affixæ cucurbitulæ
compescunt ferocientem imperum, quum sint ex eorum
numero, quæ celerrimam adferunt opem, oportune
adhibitæ, teste Oribasio. a. Refragatur huic, quæ
Rondeletii est, b. sententiæ Iouertus c. sed minus
commodè.

XIX. Præter hæc ex Pharmaciâ revellendi gra-
tiâ Iouertus, a. balnea & sudorifera requirit Verum
etiam si Hippocrati nostro hæc in parte ad stipulari nollem,
balneum minimè oportunum pronuntianti b. laboran-
tibus stomachi fastidio, vomituriensibus, biliosum eru-
stantibus: nec etiam Foresto, præsentate cruditate nau-
seâ, catharro, alvi fluxu &c: à balneis abstinendum
suadenti c. vires agri collapse & collapsuræ me absol-
verent. Interim Aeginetæ, balneum in declinatione
commodum censenti, d. non sum contrarius. Sudori-
feris ideorevellendum nolo, quod robustas requirant vi-
res, & apertis cutis spiraculis spiritus accidantur, ma-
ximè in constitutione biliosâ: & metuendum sit, ne
crudi humores copiosi spiracula ocludant, sibiq; viam
intercipiant, maximè in principio morbi. Ratione
viarum per quas, humores ligaturis in articulis sunt in-
tercipiendi.

XX. In-

XX. Interea excedens in humoribus qualitas corrigenda v. gr. porcul: end: lact: borrag. bugl. Syr: de Succ. citr. de corall. emuls. ex 4. sem: frig. cum C. C. fruct: rib. berb: flor. viol: nymph. balausc. Syr. papav. rhaad. Siq; malignitatis suspicio adfuerit, alexipharmaca juxta jam dicta, admiscenda sive communia sive propria. v. gr. bistort. torment. absinth. C. C. Unicornu, spec: liberant. lap. Bezoar, antim: diaph: Bezoart. miner. extract. gr. alkerim. aq. toph. C. C. mist. simplex. Tantum de causâ antecedente.

XXI. Sequitur continens expedienda, scilicet materia qua influxit, irritando expultricem, utramq; efficiens excretionem. Quarum neutram statim sufflaminandam antea consului: potius cautela loco notandum diligenter, an ejecta materia copia respondeat proportioni rofioni, dolori, anxietati: sin; Medici est juvare naturam, sed medicamentis mitissimis. Eligenda pro vomitu facilitando, qua unâ acrimoniam humorum recundendi vi pollent, materiam abluendo potius, quam Naturam irritando promoveant. Mercatus, a. utitur jure pulli gallinacei. Conferet etiam aq. bord. cum pauco sacch. aut ol: (Ol: enim copioso relaxatio ventriculi tantum abest, ut emendetur, ut potius au- geatur) aut serum caprinum cum Syr: ros. viol. quibus extergendi etiam facultas inest. b. Item lac tep: cum melle aut sacch: Sic per vomitûs oportunam provocatio- nem vomitus ipse solvitur, accessat. c. Caveas au- tem à foriori vomitorio, ne ventriculi subversione auctâ, & viribus exolutis convulsiones superveniant.

a. l. 3. p. 274.

b, Horst. Decad. 5, probl. 6.

c, Aët. tetr. 3, s. 1. c. 12. V. Hipp. l. de loc: in hom: t. 113.

XXII. Alvo confertim ejicienti partim lenientia

V. Cap. i. wace: Meth.
med. gen. p. 23.

a. l. de Mat. Med. 1.
c. 32.

a. Aulul. Act. 2. sc. 5.

b. de Chol. c. 2. p. 301.

c. Cels. l. I. c. 3. p. 33.

d. cit. l. p. 31.
V Mizald. Memor.
Cent. 1. 39. p. 10.

nientia ore sumta, partim clysteres injecti poterunt esse subsidio. Pro priori Syr. de mann. ros. viol. Diasser. Andern: de Cich. cum rhab. de Trib. inf: pulp. tamar: cum serò aut decoct. hord. Sacch. ros. Notandum autem arbitror hìc evenire nonnunquam, quod profusio superet irritationem & naturæ laborem, tunc propinanda purgantia, quæ adstrictionem relinquunt, & robur partibus conciliant. decoct: tamar: myrobal. rhabarb. &c: absinth. possunt exhiberi. Pro posteriori s. Clysteribus conveniunt absterg. & anodyna, lac, pariet. mercur. hord. furs. mel rosat. flor. chamæm: melil: Verb. Si opus admisceri possunt Carminativa (quæ Renodæus a. cuminativa nominanda vult) ol: rut. laur. cælam: orig.

XXIII. Porro in utraq; excretionem operæ precium est considerare $\epsilon\sigma\tau\eta\nu$ materiæ, an concitatus ad superiora, an inferiora feratur. Vtramq; quidem Medicus Naturæ minister, imitari tenetur, sed ut inferiori gutturi, ut Comicus loquitur a. magis excernendi munus committat, ceu à Naturâ huic delegatò, parti ignobiliori, minori cum molestiâ ac virium exolutione egerenti, ne ex stomacho, verbis utar Ioberti b. fiat Cloaca: quo Natura sæpe abuti cogitur, quum illo abutantur homines subindè victu delinquentes. Quoties verò alvi fluxus omninò excesserit vomitum, Clysteribus adstringentia & roborantia injicienda, unâ pars materiæ retrahenda vomitorio dato, eò quod solutum vomitus comprimat ventrem, compressum solvat. c. Sed cautè admodum fiat, cum nostra corpora insuetata sint, prout Antiquorum facilia in vomitum, adeò quidem, ut Celsus d. patrocinetur Æsculapio, quod ejecerit vomitum in eo lumine

lumine, quod de sanis: t. composuit, offensus eorum consue-
tudine, qui quotidie ejiciendo vorandi facultatem molie-
bantur. Hac à consuetudine sumtâ indicatione, re-
vulsurus noster Senex e. (modo ejus germanus fuerit. e, 5. Epid. agr. 10.
iste liber, quod in dubium vocat Doctiss: Foësius f) f, in Not: ad l, 3. de
helleborum album exhibuit. Quem ideò Caelius Aurel: Morb. l, 5. p. 273.
erroris postulat, g. potius excusandum, utpote qui a- g. l, 3. acut: c, 2.
liàs adeò ingenuus, ut errores suos confessus publico potius
Posterorum commodo, quam laudi sui studuerit, prout
fecit, cum deciperetur futuris capitis h. quod magni in- h, 5. Epid. Agr. 27. 8c
genii argumentum laudat Celsus. i. 26.

XXIV. Non sufficit autem humore expur- i, l, 8. c, 4. p. 396
gando solum occupari nisi parvis recipientis ratio etiam
habeatur, eaq; adstringentibus roboretur, ne humori cedat,
cum satius sit hostem imminuentem propulsare, quam hospi-
tio exceptum extrudere. Quare venter muniatur medica-
mentis externis & internis. Principum Medicorum haud
postremus Aretæus a. pro corroborando ventriculo, repel- a, l, 2. acut: pass. c, 4.
lendis & propulsandis humoribus propinat aqua frig. cya-
thos duos vel tres; quod extremum remedium usurpat O-
ribasius, b. comprobante Tralliano, cit: l. Inter Recen- b. Med: Coll. l, 5. c, 19.
tiores subscribit Fuchsus. c. Verum hâc in causâ major c, Oper. p. 3. de Med.
mibi Coi nostri auctoritas, effectus aq. frig. epota narran- morb. l. 3. c, 12.
tis; d. maximè perpendenti requisita & cautiones tenen- d. L. de V. R. in acut:
das in aq. exhibitione, & observationes tot Auctorum, qua- t. 32. l, 4. p. 394.
rum unica Benivenii e. me culpâ eximet. Imprimis cum e. de abd. rer. caus.
tutiora nobis pharmacia nostro seculo celebrior suggerat. c, 15.
Fomenta fiant ex ros. myrtill. cort. granat. Inunctiones
ol: ros. absinth. nymph. myrt: coton. mel: &c. Empl. de
Crust. panis. Ore capiantur Croc: Mart. adstr: extract.
rad: torm: plant. succ. cydon. prun: Sylv: terr. sigill. sant.
rob. rib. berb. Corall. rubr. Spir: mastich. cum tinct:
Chal:

Chal: conf. ros. Vitriol. fl. bor. bugl. quæ os ventriculû
qualitate suâ maximè recreant.

XXV. Hæc adstringendi ratione exhibita et
iam si revomantur, nihil vetat, quo minus eadem rursus ac-
cipiat, nam vel in ipso transitu iuvant ægrum nonnihil,
tandem manifestè auxiliantur. a. Crystallum ceu præsen-
tissimum remedium approbat Langius b. & Boëtius à
Boode c. quod tanquam Bezoar fluxum sistat, ex quâ
habemus ol: Sal: liquorem. Proderit etiam, si datur, cinct.
Corall. Græci Medici commendant admodum mentham.
Clysteres proficui videntur parati ex balaust. ros. plant.
gall. bol. arm. myrto, aq. vellacte, in quo Chalybs extin-
ctus: interdum & jure pulli, vino malvat: vitell: ovor.
Capiuacc. d. cucurbitam magnam cum maximâ flammâ
f. scarificatione ventriculo imponendam esse præcipit, edo-
ctus hoc ab Ægin e. & cæteris Græcis, item Celso. f.

XXVI. Tandem omnibus incassum tentatis, ubi
viribus metuimus, narcotica in auxilium accersenda v. g.
Syr: de pap. Req. Nicol. Laud. opiatum: quæ nec Clyste-
ribus, si opus, detrahantur. Ultimò symptomatibus quæ
prospiciatur, ex cuiusq. peculiari medelâ petendum è Pra-
cticorum libris. Accuratam namq. horum curationem subo-
nexuro, disputatio, dum ansa ansam traheret, & q. varam
vibia sequeretur, excresceret, & excederet limites com-
pendii.

XXVII. Restat alterum iudicans sc: Vitale præ-
scribens dietam ex ægri & morbi conditione. Quam illu-
strans Hippocrates a. & opportunam occasione tantum fecit,
ut non solum de illâ aphorismos, in quibus brevitatis aliàs
studiosissimus, quindecim sect. 1. concinnaverit, sed & jura-
mento caverit, se in tractandis ægris dietâ, quantum viribus
& ingenio assequeretur, ex ægrorum commodo usurum: ma-
ximè cum nullum remediû adeò potens sit, ut præstare eam,
quam

a, Christ. à Vegâ de Art.
Med. l. 3. c. 11.
b, l. 3. Epist. c. 4.
c, l. 2. de gemm. c. 74.

d, Pract. l. 3. c. 12.

e, de R. M. l. 6. c. 41.
f, l. 4. c. 11.

a. l. 3. de V. R. in act. 4

quam pollicetur, operam queat, si videtur ratione aut conturbetur, aut non adjuvetur. b. Quare Celsus c. cibum oportune datum optimum vocat medicamentum.

b. Heurn: Not. ad jur
ram: Hipp. p. 4. n. 6.
c. l. 3. c. 4. p. 99.

XXVIII. Aeger in loco versetur temperato: calidior aer temperetur stratis in pavimento fol: salic. lact: flor. ros. viol. nymph. aut aq. frig: sit subobscurus, ne luce nimia humorum adaugeat commotionem. Spiritus gratis odoribus, quos valde commendat Actuarius a. reficiendi. Capivaccinus b. pullos assatos ante nares scindendos jubet: alii costum panem vino aut aceto irroratum naribus admovent.

a. Meth. m. l. 3. c. 8.
b. Pract. l. 3. c. 21.

XXIX. Cibus quo majori affectus urget vehementiam, eo pariori deferendus manu, non corruptibilis, facilis coctus, in parva quantitate magnas roborandi vires obtinens, & ferè medicamentosus. v. gr. juscula carniū cum expresso succo. Condiatur succ: gran: citri, cydon: & c. aq. ros. borrag. parum etiam vini admisceatur. Græci maxime vinum approbant, imprimis Trallianus, exemplis edoctus. Quorum vestigiis in isto exhibiturus panem vino adstringente madidum. Morbo remittente & impetum absolvente solidioris cibi quantitas augeatur, pariter vicibus prabendi, ne offendatur debilior ventriculus. Potus loco usurpetur decoct: hord. cum spir: sulph. mastich. & julebi convenientes. Vini austeri & aq. chalyb. diluti potum indulgeo cum Vegâ a. maxime assuetis, nisi calor intensior prohibuerit.

a. l. de Art. Med. 3.
l. 3. c. 10.

XXX. Animus tranquillus graviores excludat affectus, imprimis iram, ceu hostem infensissimum. Quies imperanda & somnus conciliandus. Miror hic Ioubertum, quod posthabitâ experientiam, tot Medicorum insignium suavis repudiato, sublestâ nixus ratione, vigilias conducere assereret, imitatus hac in re Herodicum, vel ut alii legunt, Prodicum, laborem labore curaturum, quem curationis improvidum jure refellit Hippocrates a. Tantum de hoc affectu.

a. 6. Epid. l. 4. 23.

Deus, Tibi Soli Gloria!

Corollaria.

Corollaria.

1. An ægris omnis cibus concedendus sine discrimine, sola quantitate nisi excedatur? Assertorem credo helioboro indigere, quem vel vulgus erroris crassi & ignorantie convinceret. Ejus ratio est, quod Deus summe bonus è terrâ jubeat crescere alimenta.

2. An nunquam in Arthritide purgandum? Affirmantis rationes sunt, 1. Quod humores sint partes corporis, nec causa morborum. 2. quod non proxima causa Tartarus, sed ejus vehiculum tantum purgatione educatur. Verum priorem rationem Dogmatica, posteriorem Chymica principia refellent.

3. An camphora sit calida? A.

Ad Clariss. Dn. Candidatum

FRIDERICVM MOLLERVM,

Amicum meum dilectum.

HÆc quoq; Bregelidum præcludunt symbola festo,
Möllerus Medicâ quæ meus arte parat.

Disputat, & summus se navus honoribus apreat,
Maximus haut uni quos feret ille dies.

Ergo erit, ut centum circumfluis annus in orbes
Emeritis tempus nobile sistat equis,

Quo sua Anactoreæ sacra nunquam visa videbunt
Musæ lætitiis vix positura modum.

Quo pueri nova ferta ferent, nova ferta puellæ,
Et pia, cui cedant omnia, Pallas erit.

Salve festa dies! omni sine nube serena,

Et domito passim candida Marte veni!

Tu quoq; Virtutis, Möllere, hoc indice salve!
Anticipas illum jure vel inde diem.

Christophorus Tinctorius Med. D.

Archiatr Electoralis.

Königsberg. Diss., 1610/70

ULB Halle 3
004 398 270



f
Sb.

VD 17







23
1644, 3

VGVRALIS
PASSIONE

ORE MEDICO
O,
LEBERRIMÆ
MEDICÆ

iomontanâ
nsu,
honores Laureæ
summos obti
piendi,

mini subjicie
MÖLLERUS
archicus

ilis,
XLIV.
meridiem,
igno.

TI
REUSNERI.